

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Fragen sprachlich erläutert werden.

### I. Übersetzung

1 Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinoque Caesar imponit manum, M. Lepidus,  
2 iuvenis forma quam mente melior, Lepidi eius qui triumvir fuerat rei publicae  
3 constituendae filius, Iunia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in urbem  
4 revertisset, Caesaris consilia inierat. Erat tunc urbis custodiis praepositus C.  
5 Maecenas, equestri sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sane  
6 exsommis, providens atque agendi sciens, simul vero aliquid ex negotio remitti  
7 posset, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens, non minus Agrippa Caesari  
8 carus, sed minus honoratus (quippe vixit angusti clavi paene contentus), nec minora  
9 consequi potuit, sed non tam concupivit. Hic speculatus est per summam quietem ac  
10 dissimulationem praecipitis consilia iuvenis et mira celeritate nullaque cum  
11 perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido immane novi ac resurrecturi  
12 belli civilis restinxit initium; et ille quidem male consultorum poenas exsolvit.  
13 Aequetur praedictae iam Antistii Servilia Lepidi uxor, quae vivo igni devorato  
14 praematura morte immortalem nominis sui pensavit memoriam.  
15 Caesar autem reversus in Italiam atque urbem quo occursu, quo favore omnium  
16 hominum, aetatum, ordinum exceptus sit, quae magnificentia triumphorum eius,  
17 quae fuerit munerum, ne in operis quidem iusti materia, nedum huius tam recisi  
18 digne exprimi potest. Nihil deinde optare a diis homines, nihil dii hominibus  
19 praestare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari quod non Augustus  
20 post redditum in urbem rei publicae populoque Romano terrarumque orbi  
21 repraesentaverit. Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax,  
22 sopitus ubique armorum furor, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui  
23 maiestas, imperium magistratum ad pristinum redactum modum; tantummodo octo  
24 praetoribus adlecti duo. Bella sub imperatore gesta pacatusque victoriis terrarum  
25 orbis et tot extra Italiam domique opera omne aevi sui spatium impensurum in id  
26 solum opus scriptorem fatigant: nos memores professionis universam imaginem  
27 principatus eius oculis animisque subiecimus.

### II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Erläutern Sie die Konstruktion von *contentus* (Z. 8)!
2. Erläutern Sie *per summam quietem ac dissimulationem* (Z. 9f.) stilistisch!
3. Was ist zum Modus von *potest* (Z. 18) zu sagen?
4. Erklären Sie den Konjunktiv *repraesentaverit* (Z. 21)!